

Franckesche Stiftungen zu Halle

Christophori Cellarii Breviarium Antiquitatum Romanarum

Cellarius, Christoph

Halae Magdeburgicae, 1778

VD18 13038508

Caput III De Iudiciis Romanorum eiusque

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:ha33-1-195671](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:ha33-1-195671)

commemoranda est, quam Augustus nouo modo instituit, vt et odium regni euitaret, et tamen summam potentiam teneret cum exercitibus. Pacatas enim nec indigas praesidii reliquit senatui et populo: quæ veteri more per proconsules et praetores cum quaestoribus administrabantur. Limitaneas autem et alias, quibus opus erat militari praesidio, sibi reseruauit. Et hæ dicebantur provinciae Caesaris vel principis: quemadmodum is, qui pro Caesare regebat eas, non proconsul nec praetor; sed legatus principis vel Caesaris appellatus fuit. Pro quaestoribus autem erant ibi procuratores Caesaris, qui redditus curabant: nisi quod in minoribus prouinciis, vt Iudæa erat, etiam iurisdictionem habebant. Vide supra c. II. sect. II. n. VIII et IX. p. 42 et 43.

CAPVT III

DE

IUDICIIS ROMANORVM

eiusque

SECTIO I

DE

IUDICIBVS.

§. I.

Iudicia antiquitus penes reges erant: et his expulsis primi quoque consules exercebant.

E 4

Post

Post crescente republica, quum consules omnibus negotiis non sufficerent: duo prætores sunt creati, qui priuatarum rerum iudiciis præessent; consules autem curarent publica. Prætorum alius erat *urbanus* seu *urbis*, alter *peregrinus*; ille inter ciues et ciues ius dicebat; hic inter peregrinos et ciues, aut peregrinos solos, romano tamen imperio subiectos. Plures postmodum prætores creati: sed provinciarum, qui pro consulibus in provinciis ius dicerent. Circa fullana tempora auctæ sunt quæstiones: et ob id prætorum etiam numerus auctus, qui in vrbe manerent: vt tamen vnus præcipue prætor *urbis* seu *urbanus* vocaretur. Vid. supra c. 11. sect. 1. n. v. p. 29.

§. 2. *Prætor* erat præses iudicii: adseffores eius dicebantur *iudices*, quorum magnus erat numerus, præsertim in *centumuirali iudicio*, quod ita a numero rotundo vocabatur; quamuis centum quinque ordinario modo, et Festo auctore sæpe plures essent. De qua re ad Plinii l. 1. ep. 5. n. 4. plura diximus.

§. 3. Non autem erant iudices perpetui: sed sorte legebantur ad certam aliquam causam, ne pars litigantium posset suspectos habere. Cic. *pro Mil.* c. 16. iidem etiam iure iurando adstricti erant ad sincere iudicandum. Meminit iuris iurandi eius Cicero *pro Roscio amer.* c. 3: et Asconius in *Verr.* 11; vbi etiam de sortitione iudicum et subsortitione agit, si quidam fuissent a reo aut accusatore reiecti.

§. 4.

§. 4. Iudices pro temporum diuersitate ex diuersis ordinibus lecti. Caius Gracchus iudicia senatui adempta equitibus dederat: Sulla post quadraginta annos solis senatoribus. Post decem autem annos Aurelius Cotta legem tulit, ut senatores et equites romani ac tribuni ærarii (hi plebem representabant) simul iudicaretur atque iudicium conflarent ex omnibus tribus ordinibus. Plut. in Graccho p. 837. Appian. de b. ciu. l. i. p. 363: et Ascon. in c. 3. diu. verr. Atque ita mansit per Ciceronis tempora: quod ex miloniana eius c. 2; et ex l. ii. ad Quintum fr. ep. 8. sub finem constat. Senatorum, inquit, vrna copiose absoluit: equitum adequauit: tribuni ærarii condemnarunt. Ex quibus simul videmus, non promiscuos, sed singulos ordines separatim in iudicio sedisse. Tandem Iulius Cæsar solis senatoribus iudicia mandauit. Dio l. XLIII. p. 226.

§. 5. Sententiæ iudicum a quolibet in tabella scribebantur paucis litteris; in quibus A absolutionis nota erat; C condemnationis: si autem causâ nondum esset liquida, scribebant NL, id est, non liquet; quæ nota ampliacionis dicebatur. Ascon. in Verr. l. c. 7. De vrna paullo ante ex Cicerone diximus. Et hæc de iudiciis.

SECTIO II.

DE

LOCO IUDICIORVM.

§. I.

Locus iudiciorum erat forum: vt omnes possent audire, quæ iudicarentur. *Centumvitalia* autem iudicia, quæ causas minoris momenti, vt testamentorum, hereditatum et similes habebant (quemadmodum ex Cic. *l. i. de orat. c. 38.* constat) et quadrupliciter diuisa erant, exercebantur in basilica iulia: vt notis ad Plin. *l. i. ep. 18. n. 3.* probauimus; quibus adde ea, quæ dicta sunt ad *l. i. ep. 5. n. 4.* Vix autem dubium, quin basilica in foro fuerit. Hinc actiones et causæ forenses appellantur.

§. 2. Erant præterea iudicia, quæ in senatu agebantur; grauiora scilicet et publica prouinciarum, quando proconsules aut proprætores a prouinciis, quas male rexerant, accusabantur: et in his posteriore tempore sæpe Cæsares præsidebant. Plin. *l. ii. ep. 11. n. 9. 10: et l. iii. ep. 9. n. 21 et 23.* Etiam alia interdum iudicia Cæsares ad se in aulam traxerunt. Plin. *l. vi. ep. 31. n. 1.*

SECTIO III

DE

ACCVSATORE ET REO.

§. I.

Accusator in vna causa non semper vnus erat, sed poterant plures esse: contra reo
etiam

etiam permissum, plures adhibere defensores. Ut vero singuli singulas haberent orationes; quod maxime in grauioribus causis fiebat, præsertim iis, quæ in senatu agebantur, ut ex Plinii *l. 11. ep. 11.* apparet: præscriptum tempus erat, quot horis vteretur quisque ad dicendum; ideoque clepsydra adhibita in iudicio, quæ tempus definiret. Plin. *l. 1. ep. 23. n. 2: et l. vi. ep. 5. n. 5. 7.*

§. 2. Hi accusatores et defensores dicebantur *causidici*, *patroni causarum* et, si illustriores essent, *oratores*: non autem *aduocati*; qui amici erant reorum, rogati, ut reis in iudicio tantum præsentia sua adessent, quorum gratia iudices mouerentur. *Aduocationes* autem erant mora et tempus: quod a iudice perebant, dum amicos aduocarent. Vide, quæ ad Cic. *l. vii. ep. 11. n. 2.* notauimus. Postea quum ex aduocatis talibus quidam etiam defenderent reum: factum est, ut aduocatorum nomen etiam causidicis tribueretur; quod Ulpianus tradit *l. 1. §. 10. ff. de extraordinariis cognitionibus.*

§. 3. Rei sunt accusati: qui non modo de causidicis et defensoribus solliciti erant, et amicos aduocabant; verum etiam laudatores querebant. De laudatione reorum vide, quæ ad Cic. *l. 1. ep. 9. n. 8 et 13.* notauimus: et adde Afcon. *pro Scauro sub finem.* Laudauerunt, inquit, *Scaurum consulares nouem*: horum magna pars per tabulas laudauerunt, quia aberant.

§. 4. Habitus reorum erat squalidus, adiunctis lacrimis: ut iudices ad misericordiam mouerent. Cic. *post red. ad Quirit. c. 3. pro Lig. c. 11*: et Gell. *l. III. c. 4.*

SECTIO IV DE LEGIBVS.

§. I.

Magna amplitudo vocabuli legis est, et latinis auctoribus varia significat. Proprie dicta lex, ut Ateius Capito apud Gellium *l. x. c. 20.* definit, est generale iussum populi aut plebis rogante magistratu. Dum dicit *generale*, vult omnes lege obligari debere. Atque ita lex manilia, quam Cicero oratione defendit, proprie lex non erat, sed potius priuilegium: quia de vno Pompeio agebat. Dum addit *rogante magistratu*, consensum ordinum requirit: quia nec consul, neque alius magistratus poterat legem ferre insciente ac inuito populo. Magistratus ergo, consules, tribuni, quod legis habere vim volebant, retulerunt ad populum: interrogantes, an velint, iubeant hoc ita fieri. Hinc leges dictæ *rogationes*, id est, interrogationes populi: de quibus Gellius *dicto loco* consulatur.

§. 2. Nata exinde est distinctio inter *legem propriam*, quæ ad ius civile referenda est; et inter *impropriam*, de singulorum honore vel iuribus: item inter *legem*, senatus consultum et plebiscitum,

tum, etiam populiscitum, quod nomen apud Nep.
in *Alcib. c. 5 n. 4*; et *Epam. c. 7. n. 4.* occurrit.

§. 3. *Senatus consultum* decretum erat a senatu
factum, plerumque in publica causa: quum le-
ges propriæ agant de causis privatorum. Du-
plex modus erat faciendi senatus consultum.
Præcipuus fiebat per discessionem, qua in diuer-
sas sententias ibant senatores. Hirt. *de b. g. l. viii.*
c. 52. Alter modus, sed minus frequens, con-
sistebat in exquirendis sententiis: ubi consul ab
illustrioribus sententiam, quid fieri vellent. exi-
gebat. Gell. *l. xvi. c. 7.* Quum senatus consul-
tum scriberetur, quod plerumque vnius hominis
honorem respiciebat: amici et fautores illius, si
senatores essent, aut quicumque volebant ex sena-
tu, scribendo aderant; eorumque nomina ipsi
senatus consulto inferebantur. Exempli habes
apud Cic. *l. viii. ep. 8. n. 12. 15: et l. xv. ep. 6. n.*
7. 8. Quod autem de iis plebs non rogabatur:
proprie loquendo leges non erant, certo modo
autem vim legis habuerunt. Ceterum distin-
guuntur in iure secundum auctorum nomina, qui
primi de re vel argumento ad senatum retule-
runt. Hinc in Digestis memorantur senatus
consulta terrullianum, trebellianum, macedonia-
num, filanianum, claudianum, turpillianum,
velleianum, cetera.

§. 4. *Plebiscitum* sequitur. Est autem scitum
aliquod statutum: et inde plebiscita, ut Pom-
peius Festus definit, appellantur ea, quæ plebs
suo

suo suffragio sine patribus iussit, plebeio magistratu rogante. Gellius l. xv. c. 27. ex Laelio Felice hæc allegat: *Ne leges quidem proprie, sed plebiscita appellantur, quæ tribunis plebis ferentibus accepta sunt; quibus rogationibus patricii antè non tenebantur, donec Q. Hortensius dictator eam legem tulit, ut eo iure, quod plebs statuisset, omnes Quirites tenerentur.* Vide plura l. ii. §. 8. ff. de O. l. et legis; ubi occasio plebiscitorum explicatur, et legis hortensiae simul fit mentio, et eausa, cur tradita sit, adiicitur hisce verbis: *Quia multa discordia nascebantur de his plebiscitis, pro legibus placuit et ea observari lege hortensia; et ita factum est, ut inter plebiscita et legem species constituendi interessent, potestas autem eadem esset.* Hinc vis obligandi uniuersum populum etiam plebiscitis data. Quod vero ante legem hortensiam plebiscita patricios non obligarent, nec pro lege haberentur: hoc exinde fuit, quia insciente aut inuito senatu fuerant facta. Ad legem autem propriam requirebatur: ut, quamlibet a tribuno, plebeio magistratu, rogata esset: senatui tamen etiam, antequam confirmaretur, ad consentiendum proponi et exhiberi deberet.

§. 5. *Populiscitum* in se plus est, quam plebiscitum: et vix differt a lege propria, quia populus omnes tres ordines comprehendit. Plebs autem ordo vnus est: saltem senatorium excludit. Gell. l. xx. c. 10.

§. 6. *Rogationes* sæpe pro legibus ponuntur
apud

apud Ciceronem et Gellium *l. x. c. 20.* Ratio hæc est, quia olim leges magistratu rogante ferebantur: an plebs aut populus velit, iubeat, hoc vel illud ita fieri. Causa erat, quia in libera republica summa potestas magis apud populum, quam apud senatum fuit. Postea autem sub Cæsaribus mutata legum consuetudo, principibus summam potestatem a populo ad se reuocantibus. Hinc pleræque leges in digestis et in codice ab imperatoribus dicuntur latæ sine mentione populi, cuius iam potestas exspirauerat.

§. 7. Ceterum quoniam de legibus agere cœpimus: non alienum a re erit, historiam etiam atque rationem legum in libera republica aut non longe post mutatam eandem latarum paucis explicare. Regum enim leges erant imperfectæ: ideoque senatus Solonis leges petiit ab Atheniensibus, quæ ad statum romanum reformatæ a decemuiris x tabulis conscribebantur pro numero decemuirorum. Sequenti anno, quæ deesse videbantur, suppleta sunt tabulis duabus, ut xii fierent: qui fons est iuris romani, quo hodieque utimur; quamquam earum sola fragmenta supersunt. Vide *Liuium l. iii. c. 34.*

§. 8. Crescente republica crescebant etiam delicta et quæstiones: inde nouæ leges latæ, quia ex xii tabulis non omnes casus poterant diiudicari. Ex his potissimum eas, saltem præcipuas earum memoramus, quæ apud Ciceronem occurrunt: quasdam etiam ex digestis siue

pan-

pandectis adiicimus. Pleræque autem ab auctoribus denominantur: nonnullæ etiam a materia.

§. 9. Ab auctore nomen habent apud Ciceronem LEX *acilia*, repetundarum: *ebutia*, de curatione et potestate mandanda: *alia et fusia*, de iure comitiorum: *emilia*, sumtuaria: *appuleia*, de coloniis, de maiestate; et alia eiusdem frumentaria: *aurelia*, iudiciaria: *cæcilia didia*, de legibus ferendis: *calpurnia*, de ambitu; et alia repetundarum: *cassia*, agraria, de damnatis; et alia tabellaria de iudiciis: *cincia*, de donis et muneribus: *clodia*, frumentaria: *calia*, de suffragiis: *cornelia* plures, testamentaria, nummaria, de infamia, de legatis prouincialium magistratuum, de magistratibus, de maiestate, de municipiis, de proscriptione, de prouinciarum rectoribus: *curia*, de auctoritate patrum: *domitia*, de sacerdotiis: *fabia*, de numero sectatorum: *flaminia*, agraria: *flauia*, agraria: *furia*, de testamentis: *gabinia*, de legatis: *gellia cornelia*, de ciuibus: *hirtia*, de Pompeianis: *iulia*, de legationibus liberis, de prouinciis, de repetundis pecuniis, de sacerdotiis: *iunia*, de peregrinis vrbe eiciendis: *lætoria*, de tutelis: *licinia*, de curatione et potestate mandanda, de sacerdotum electione, de sodalitiis: *licinia mucia*, de ciuibus regundis: *manlia*, de magistratibus: *manilia*, de libertinorum suffragiis: *maria*, de nummis, de suffragiis, *oestania*, frumentaria: *papia*, de ciuitate de peregris

egrinis: *papia*, de consecratione; et alia tabellaria de legibus: *plotia*, de vi: *pompeia*, de ambitu, de iudicibus: *porcia*, pro tergo et vitæ ciuium: *pupia*, de senatu comitialibus diebus non habendo: *remmia*, de calumniatoribus: *rosia*, theatralis: *rupilia*, de iudicibus sortito dandis: *scantinia*, contra impudicos: *sempronia*, agraria, frumentaria, de capite ciuium romanorum, de prouinciis: *seruilia*, de ciuitate, de iudicibus, de repetundis: *terentia cassia*, frumentaria: *thoria*, de vectigalibus: *tullia*, de ambitu: *valeria*, de tyrannide Sullæ: *varia*, de maiestate: *uatinia*, de alternis consiliis, de prouinciis: *voconia*, de hereditatibus feminarum: et alia plures.

§. 10. In pandectis memorantur *aquilia*, de damno iniuriæ: *atinia*, de vfucapione: *cornelia*, de falso, de iniuriis, de lusu, de fœciis et veneficiis: *fabia*, de plagariis: *falcidia*, testamentaria: *glicia*, de inofficioso testamento: *hortensia*, de plebiscitis: *iulia*, de ambitu, de annona, de maritandis ordinibus, de peculatu, de repetundis, de residuis, de vi priuata, de vi publica: *iunia vellea*, de testamentis: *papia poppeia*, de connubiis: *petronia*, de seruis: *pompæa*, de parricidis: *plautia*, de vi: *scribonia*, de Lusitanis: et alia.

§. 11. Quædam leges, quamuis auctores non ignoti essent, a materia denominabantur. Tales sunt LEGES agrariae multæ, de agris populi diuidendis; quæ sæpe causæ tumultus exstite-

(Cellarii antiquit.)

F

runt

runt: *annales* siue annariæ, quæ magistratui cer-
ram ætatem præscribebant: frumentariæ vario-
rum: *sumtuariæ*, quibus luxuria conuiuiorum
prohibebatur: *tabellariæ*, de dicendis sententiis
et suffragiis ferendis per tabellas: *viceſimarum*,
de vectigali viceſimæ: et ſimiles.

§. 12. Poſteriorum Cæſarum leges ex digeſtis,
codice et nouellis notæ ſunt. De *edicto præto-
ris* tantum pauca hic adiungimus. Qui enim
iudiciis ordinariis in foro habitis præerat prætor
vrbanus: ſub initium muneris ſui in albo ſcripta
edicta proponebat ſupplendi iuris ciuilis cauſſa,
ſecundum quæ ius per annum ſuum dicturus ef-
ſet. Addebat etiam certas formulas, quibus die-
bus et qua ratione ac modo, a partibus etiam ob-
ſeruando, id eſſet factururus. Hinc, quidquid
iuſſit prætor, *edictum* poſtea vocabatur: et fre-
quens in iure vox eſt, *prætor edicit*. Si prætor
edictum antecęſſoris retinebat, vocabatur *edi-
ctum tralatitium*. Tandem Hadriani tempore
Saluius Iulianus iureconſultus compoſuit *edi-
ctum perpetuum*: quod prætores obſeruarent,
nec mutarent edicta annis ſingulis. Huius frag-
menta ſatis copioſa ſuperſunt, a diuerſis edita:
ex quibus intelligimus, qualia fuerint edicta
prætorum. De auctore huius edicti vide Eu-
trophium l. viii. c. 9.

CAPVT